



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

§. V. Impedimentum conditionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**

sonam presentem, quamvis in qualitate erretur, & hæc non reputetur determinatio personæ, semper matrimonium est validum: & nullum, dum error qualitatis redundat in substantiam personæ, adeo ut illa non sit, cum qua intendebatur contractus celebrari.

## §. V.

*Impedimentum conditionis.*

29. **I**mpedimentum conditionis, est ignorantia disparitatis conditionis, quatenus liber, putans ducere liberam, revera contrahit cum serva legali, vel mancipio: Hæc ignorantia dirimit matrimonium, patet ex capit. *ad nostram de conjug. serv.* Verum, si quis noverit esse servam, & adhuc velit ducere, matrimonium valebit; cum in hoc casu inæqualitas conditionis sit cognita, & volita, & nulla fiat ei injuria, ratione cujus Ecclesia hoc impedimentum apposuit, & contractus sit justus, habens æqualitatem corporum, se mutuo obligantium; immo, ut docet Contenson. *Theol. ment. lib. 11. p. 4. disert. 4. cap. 2. speculat. 1.* error conditionis non irritat matrimonium, si errans sit æqualis, vel inferioris conditionis cum serva.

28. Sed quid, si servus contrahat cum serva, quam putat esse liberam?

Resp. Matrimonium valet, nam in c. *Si quis liber, &c. Si ingenuus 29. qu. 2.* semper est sermo de matrimonio inter liberum, & ancillam: & sic communiter intelligitur; nam jura intendunt tollere injuriam alterius, sic contrahentium, sed in casu ambo sunt ejusdem conditio-

nis, & sic nulli fit injuria, Joan. Deda Cruz *de matrimonio.*

## §. VI.

*Impedimentum voti.*

31. **V**otum castitatis duplex, solenne, & simplex. Simplex matrimonium impedit: Cum matrimonium hujus voti observantia repugnet: At matrimonium contractum non dirimit. Ratio est, quia votum simplex, est simplex promissio proprii corporis, obligans, utique ad continentiam, sed non transfert dominium corporis in eum, cui promittitur: Idco, si sententiam vovens mutet, & alteri concedat, peccat quidem, sed contractus tenet.

32. Votum vero solenne matrimonium dirimit; ratio est, quia, qui votum solenne emittit, non solum corpus suum, sive corporis dominium DEO promittit, sed etiam, acceptante Ecclesia, actu ipsius tradit, & in eum transfert. Quare, qui votum solenne emisit, non possunt postea matrimonium contrahere, quia non habent dominium sui corporis, vi cujus possint alteri conjugii in ipsum potestatem tradere.

33. Votum, per solemnem Religionis professionem factum, matrimonium ratum quidem, se nondum consummatum, dirimit, ex *Trid. cit. can. 6. ubi: Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi. Anathema sit.* Jura, & Canones unicuique conjugii post contractum matrimonium, concedunt duos menses